

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Groninga

Braun, Georg

[Köln], [1575?]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-314688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-314688)



GRONINGA, opulenta
 populosa, et valde contra
 hostiles insultus munita. Per
 se oris. Ptolemeo Phileum.
 cons. fructa et denomina-
 ta a Gronno antenoride
 gis Francorum frater. Anno
 ante incarnationem Chris-
 ti, CCC LXXXVII. or
 Sturmaldus scribit.



GRONINGA



GRVNIVS Troianus huic Phrysiæ vrbis nomen dedit, quem admodum quidam opinantur. Sed mihi suspectæ sunt pleræque populorum & vrbium origines, illæ præsertim, quæ deducuntur à Troianis. Munsterus Francum dicit, non Troianum. Sed & Troianus fuit, si Fræci veteris sui generis à Troianis repetunt. Poli huius vrbis longitudo, graduum novem & viginti, minorum viginti quatuor describitur. Latitudo verò quinquaginta trium graduum, & sexdecim minorum. Lenardia sex milliaribus abest. Per hanc vrbem multæ, eò ingentibus canalibus, quorum maior pars artificiosè manugue facta est, ductis, aquæ defluunt. Vrbis est ampla, legibus proprijs regitur: & ipsa iurisdictionem obtinet, multorum vndique vicinorum sibi cæderatorum pagorum domina. Quod ad bonarum artium studia pertinet, vniuersus inter eruditos summi viri Rodolphi Agricolæ, in qua is natus est, laude clarè. Cui sub anno M. CCCC. LXXXV. Heidelbergæ mortuo, Hermolaus Barbarus Venetus, doctorum sui temporis hominum facile princeps, hoc elegantissimum tetraëchion posuit.

Inuida clausurunt hoc marmore fata Rodolphum

Agricolam Phrysiæ semper decusque soli.

Scilicet hoc vno meruit Germania laudis,

Quidquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Cùm hæc vrbis verò clientelis potens sit, separatam provinciam constituit, & ob id titulum à suo nomine Principi proprium attribuens. Hanc vrbem & provinciam Embdes Comes Georgio Saxoniz Ducis, Caroli quinti Imperatoris clienti, sine, vt nunc recentiores Iuris consulti loquuntur, feudatorio, eripuit. Sed, vbi eam tueri sibi, retinereque non valeret, eam ille Carolo Gelziæ Ducis, Anno circiter M. D. XI. III. tradidit. Quam rem Georgius indignè ferens, ita ab hac mutatione, & Phrysiæ motibus abhorrens, vt eam vrbem, & vniuersam Phrysiæ Provinciam Carolo quinto, tanquam supremo Domino, nimirum Imperatori, Anno M. D. XV. cesserit. Inde nata inter Burgundos & Gelros atrocissima bella. Quæ demum, inito contractu, confopita fuere. Inter cætera conuentum, vt Dux Carolus, ea Provincia, dum viueret, frueretur. Post eius obitum verò ad Carolum quintum tanquam Phrysiæ dominum, vel ad eius hæredes, rediret, sed hæc de re plura, in Phrysiæ Chronico Batauorum Lugduni, siue Leida, Anno partæ salutis M. D. LIII. edito, inueniuntur. Posterioribus superioribus proximis his annis comes Ludouicus Nassouus Albanus Duci Belgij Præfeco bellum in hac prouincia, Auriaci Principis, cuius Germanus erat frater, partes, contra Hispanos Albanumque secutus, mouit, & victoria, (Hispanis, qui veterani omnes erant, nã cum duce fortissimo, reique militaris peritissimo Arenbergico comite cæsis) est potius. Vt Albanus deinde ipse, sumpto primùm Bruxellæ de Egmundano Hornensique comite, quos Gandau captiuos habebat, supplicio; collectis tandem maximis copijs, eo peruenit, & Ludouici Comitis exercitum, quod is viribus, militum numero, cæterisque rebus omnibus, longè impar esset, fuderit & dissiparit, vrbemque obfidiõne liberarit.